

respondere testatur. De hac re, quum A. et B. ipsi inter se admodum similes sint, iudicium ferre non potest, nisi qui ipse libros illos oculis suis usurpavit; id quidem certum videtur, Regium N. potius apographum Colbertini 1., quam eundem codicem esse, quum in Reg. N. lacuna sit in Prom. v. 898 — 934., quae in Colb. 1. non comparet.

His subjicienda sunt nonnulla de iis codicibus, quorum lectiones in hoc altero volumine accesserunt. Et primum quidem Farneſiani codicis non iis tantum lectionibus usus sum, quas Elmslejus ex eo excerpsit in Museo critico, sed ad integram Agamemnonem eas suppeditavit Blomfield., ad Eumenidas Burgess. Praeterea ad Agamemnonem Blomfield. collationem habuit codicis, qui in bibliotheca Florentina Plut. XXXI. 8. asservatur, quemque cum eo Flor. vocavi, et codicis Veneti, a Morellio confectam. Ad Persas idem Lambethanum codicem contulit, ex quo tamen paucas tantum lectiones excerpsit. Praeterea addidi codicis Taurinensis No. 253. lectiones in Septem c. Thebas, ex Peyronii *Notitia librorum qui donante Calusio illati sunt in Regii Taurinensis Athenaei bibliothecam* p. 60. s. (observandum est, hunc Taurinensem codicem semper fere cum Guelpherbytano consentire),